

non est quantitas virtualis. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in multis locis quæ postea citabimus ubi docet Angelum esse in loco per contactum suæ virtutis, et operationis. Constat autem quod virtus Angeli, et ejus operatio non est ejus substantia, et esse, ut docet S. Thomas infra qu. LIV, art. II. Specialiter autem pro ista conclusione, quatenus negat substantiam Angeli esse rationem unionis, et præsentiam Angeli ad corpus, ponderari potest locus D. Thomæ infra qu. LXXVI, art. VI ad III, ubi ponit hanc differentiam inter animam, et Angelum, quod: « Angelus unitur corpori solum ut motori et ideo unitur ei per potentiam, vel virtutem, anima autem intellectiva unitur corpori ut forma per suam essentiam. » Intelligit ergo D. Thomas quod ratio qua Angelus est in corpore, non est substantia, sed virtus, qua movet corpus. Qua ratione etiam hoc excludit in I, dist. XXXVII, qu. III, art. I, dicens, quod Angelus non est secundum formam in re locali, quia non est actus corporis. Nec D. Thomas agnoscit quod ipsa substantia Angeli sit quantitas virtualis, quia quantitatem virtuales semper ponit in Angelis ratione virtutis operativæ, quia id quod in corporibus est quantitas dimensiva, in Angelis dicit esse virtutem operativam, ut constabit ex locis postea citandis.

XII. Fundamentum hujus conclusionis est, quia contactus Angeli, et præsentia ejus ad corpus, est aliquid accidentale in Angelo, et variabile, quia potest modo esse in uno loco, modo in alio, et modo esse in majori, modo in minori corpore multo melius quam anima rationalis, quæ aliquando informat parvum corpus, aliquando majus, illique assistit: ergo non potest talis præsentia, et contactus fieri immediate per ipsam substantiam Angeli.

Patet consequentia, quia unio, seu contactus accidentalis non potest fundari immediate in ipsa substantia in quantum substantia est, quia substantia non potest uniri alteri rei nisi tamquam substantia incompleta (scilicet forma aut materia) vel tamquam completa (scilicet ut subjectum, vel ut efficiens) quia omnis ista conjunctio debet esse in aliquo genere causæ, et non est causalitas substantiæ præter istas. Primo modo non potest uniri Angelus corpori, et illud tangere, tum quia est substantia completa; tum quia nec est forma corporis, nec ejus materia. Secundo modo non unitur tamquam subjectum corpori, cum corpus non sit ejus accidens: ergo unitur, et tangit ut efficiens, et agens: ergo mediante virtute, et operatione non per subsistentiam suam. Item substantia in suo esse substantiali semper manet eadem in Angelo: ergo non potest esse ratio existendi modo diverso in loco, seu commensuratione ad alterum, ut modo sit in loco majori, et modo in minori, sine aliquo superaddito quo ista variatio fiat: nam et corpus ipsum non tangit locum per suam substantiam, sed per quantitatem.

XIII. Dices: Substantiam Angeli secundum se non haberi istam variationem, sed secundum diversam applicationem suæ voluntatis, qua ad determinatum locum applicari potest, aut ad alium determinari. Et juxta diversam determinationem potest applicari majori vel minori loco, magis vel minus adæquato sibi, sicut etiam anima rationalis per suam substantiam immediate informat corpus, et potest modo informare corpus majus, modo minus, non tamen sequitur quod ista unio, et præsentia fiat mediante aliquo accidente, sed per ipsam animam immediate solum, supposita diversa dispositione corporis. Et eadem ra-

tione corpus Christi sacramentatum potest modo uniri majoribus, modo minoribus speciebus juxta quod tales species illi applicantur, et juxta voluntatem consecrantis, vel dividentis species.

Sed contra est, quia subsistentia Angeli per se immediate est ratio existendi in loco, non juxta dispositionem loci, cui unitur, sed juxta suam voluntatem, necesse est quod ipsa ratio formalis existendi in loco et tangendi, sit per seipsam capax hujus inæqualitatis, non autem solum id reducat ad voluntatem Angeli ut ad rationem formalem, quia ista voluntas solum est applicativa, et per modum causæ efficientis se habet in constituendo Angelum in loco: nam si se haberet per modum causæ formalis, hoc ipso incidere in sententiam D. Thomæ, quod Angelus esset in loco per operationem suæ virtutis. Quare voluntas Angeli solum effective, et applicative se habet ad talem contactum: supponit ergo rationem formalem per quam contactus fiat. Si ergo contactus inæqualiter fieri potest juxta applicationem ipsius Angeli, nunc in magis, nunc in minus, necesse est quod ipsa substantia Angeli, non sit immediata ratio ponendi in loco, quia substantia in se est una, et ejusdem rationis, nec potest magis vel minus habere ex ipsa ratione substantiæ, et sic applicatio illius non potest esse nisi juxta naturam ejus, quæ semper est una. Exemplum autem de anima rationali, et de corpore Christi sacramentato non quadrat, quia anima rationalis non est libito suo in majori, vel minori corpore, unde non indiget ratione formali subordinata ipsi voluntati, et applicabili ab ipsa ad diversam materiam, et locum, sed ista unio animæ est naturalis juxta quod materia apponitur formæ cum dispositionibus requisitis ut informetur

ab illa; et sic prout major vel minor materia illi apponitur ipsa magis vel minus corpus informat eique assistit, et unitur, quia unio illa est per modum substantiæ incompletæ informantis, non ut substantiæ completæ tangentis sicut Angelus. Et similiter corpus Christi ponitur sub speciebus juxta modum materiæ consecrabilis, ita quod sub tantis speciebus continetur corpus Christi, quanta fuerit materia, quæ ibi apponitur consecranda, et convertenda in corpus Christi, quare utraque præsentia tam animæ rationalis, quam corporis Christi potest fieri immediate per substantiam sic invisibiliter se habentem, et tamen esse ad majorem, vel minorem quantitatem corporis, vel specierum, quia hæc præsentia non habetur per positionem, et coaptationem ipsius animæ ad corpus, vel corporis Christi ad species, sed per conjunctionem ipsius materiæ vel uniendæ, et informandæ ab anima, vel consecrandæ, et convertendæ in corpus Christi, et juxta diversam quantitatem ipsius materiæ sic unitæ, vel conversæ dicitur esse anima vel corpus Christi in majori, vel minori quantitate præsentia quadam per accidens in ipsa anima, resultante ex unione substantiali quæ potest esse ad majus, vel minus, non ex se aut per contactum proprium, sed ex quantitate materiæ sibi unitæ, vel consecratæ. At vero Angelus opposito modo procedit: nam etiam stante eadem quantitate corporis non sibi uniti, substantialiter potest contactu suo attingere, et applicari magis vel minus, in majori vel minori quantitate corporis: ergo oportet quod ratio formalis hujus contactus non sit substantia unibilis in vi substantiæ, sed in vi alicujus accidentalis virtutis plus vel minus applicabilis.

XIV. Dico tertio: Sententi Sua-

rez, et Vasquez supra relatæ non explicant sufficienter præsentiam Angeli in loco, et rationem formalem existendi in illo. Et quidem sententia p. Suarez, quæ est etiam Molinæ, explicat quidem formam ipsam ubi intrinseci, quo Angelus formaliter redditur præsens loco, non tamen explicat fundamentum istius præsentia, et rationem formalem habendi contactum ad corpora, et loca, quibus Angelus assistit: sine contactu autem non potest explicari, quomodo, et qualis sit illa præsentia angelica, et in quo distinguitur a præsentia corporali. Nam quod Angelus habeat præsentiam ad loca in quibus est, vel ad quæ movetur nulli dubium esse potest: sed tota difficultas est in explicando modum quo ista præsentia ponitur, et distinguitur a præsentia corporali, quod sine aliqua ratione contactus intelligi non potest, quia juxta modum habendi contactum erga alias res variatur modus habendi præsentiam, sicut alio modo habet præsentiam unum corpus ad alterum per quantitatem, qua illi commensuratur: alio modo anima rationalis, quæ habet contactum ad corpus informando: alio modo spiritus increatus per immensitatem: alio modo spiritus creatus per contactum virtutis, non molis, nec quantitatis: ergo oportet explicare in quo consistat ille diversus contactus, et diverso modo factus ab uno, et ab alio, ratione cujus illa diversa præsentia resultat. Itaque hæc sententia in eo est diminuta, quia explicat præsentiam, seu ibi in Angelo, sed non contactum erga corpora, cum tamen non possit explicari unum sine altero, quia præsentia localis, seu ibi resultat ex aliqua conjunctione ad locum, et hæc conjunctio sine contactu non fit. Et præterea quia Angelus potest agere in corpora, et movere illa de loco

ad locum, et movere se in talibus locis, et corporibus: ergo oportet quod habeat aliquem contactum ad talia corpora, in quæ agit, et habendo contactum, habet præsentiam: ergo non sufficit explicare existentiam Angeli in loco per hoc solum quod habeat ubi, seu præsentiam ad locum, sed etiam oportet explicare quomodo habeat contactum sine quo non est præsentia. Denique, ubi est modus existendi in loco, qui resultat ex accessu, et conjunctione rei locatæ cum loco, quæ conjunctio per aliquem contactum, vel unionem fit, in corporibus quidem per contactum circumscriptivum, quo tangitur, et commensuratur una quantitas alteri: in anima autem nostra erga corpus per informationem: in corpore Christi sacramentali per colligationem cum speciebus, quatenus continetur sub illis loco substantiæ conversæ: ergo etiam in Angelo oportet assignare modum habendi contactum, et conjunctionem cum corpore, ut resultet ubi. Ponere autem ubi, seu modum præsentia non resultantem ex conjunctione ad corpus, et ad locum, est tollere rationem ubi, et aliam rationem præsentia inducere, quæ non est præsentia localis, seu ubi; et ideo sine explicatione contactus Angeli insufficientis est sententia quæ solum explicat hanc existentiam, seu contactum in loco per præsentiam in loco: nihil enim aliud est ubi quod ponit Suarez, quam præsentia in loco.

XV. Secunda pars conclusionis contra sententiam Vasquez imprimis probatur, quia multum derogat perfectioni angelicæ, quod ad existendum in loco dependeat ex unione ad corpus. Quod graviter reprehendit D. Thomas quæst. III de potentia, art. XIX, ubi inquit: « Quidam antiqui dixerunt, quod illud quod non est in loco, non est, ut in quarto

physicorum dicitur. Et ex simili errore quidam moderni dixerunt quod Angeli absque creatura corporali esse non possunt, intelligentes Angelos tamquam ea quæ imaginaverunt situatiter distincta, quod quidem præjudicat sententiæ antiquorum qui Angelos ante mundum fuisse posuerunt: præjudicat etiam dignitati angelicæ naturæ, quæ cum naturaliter sit prior, quam creatura corporalis, nullo modo a creatura corporali dependet.» D. Ita Thomas: ergo in sententia Vasquez in qua Angelus non potest per seipsum assistere loco, nisi prius uniatur corpori, præjudicatur dignitati angelicæ, quia non potest per seipsum independenter a corpore seu unione ad corpus præsens esse alicui loco.

XVI. Deinde, quia Angelus ex se, et non ratione corporis adjuncti est forma activa, et motiva corporum immediate, sicut patet quod Angeli movent cælos, et ipsa corpora possunt assumere, et immutare illa: naturaliter enim natura corporalis regitur per spiritualem, ut sæpius ex Augustino docet D. Thomas: ergo oportet quod Angelus seipso, et non solum ratione corporis adjuncti possit assistere ipsi corpori, et movere illud, et movere seipsum: ergo etiam mutare locum, quia motus localis circa locum est, et sicut forma spiritualis informans, quæ est anima rationalis habet per se immediatam habitudinem ad corpus, ita forma spiritualis activa, et motiva corporum debet habere immediatam habitudinem ad corpus quod potest movere: ergo per seipsum Angelus, et non mediante corpore sibi unito potest præsens, vel absens reddi alicui corpori seu loco. Confirmatur hoc, quia omnis unio supponit extrema unibilia, id est, habilia, et apta ut uniantur, et sic oportet quod ipsa unio fiat inter extrema secun-

dum aliquam proportionem quam habent inter se, sicut uniuntur aliqua tamquam forma et materia, actus et potentia, vel tamquam agens et passum, vel ut duæ quantitates contiguæ, et commensuratæ. Oportet ergo explicare qualis sit ista unio Angeli ad corpus, et in quo fundetur, non autem solum in communi dicere quod per unionem ad corpus est in loco. Potest enim hæc unio bene vel male explicari, aut nihil de illa explicari: si enim est per modum formæ, et materiæ, aut quantitatis, vel partium se commensurantium est falsa, cum nihil tale sit inter Angelum et corpus. Si est unio causæ agentis, et operantis ad passum mediante operatione, est nostra sententia. Si nihil horum dicit, nihil est.

XVII. Denique, hæc sententia ponendo istum modum unionis incidit in sententiam, quam vult evitare, et impugnare, scilicet quod Angelus existat in loco per contactum, et operationem virtutis: nam ideo auctores oppositi negant rationem formalem præsentia angelicæ esse operationem, quia ad operationem requiritur simultas, seu conjunctio operantis cum passo, sed ille modus quo Angelus unitur loco, consequitur ad operationem Angeli, quia scilicet per voluntatem suam producit illum modum unionis ad corpus, mediante quo substantia Angeli unita corpori existit in loco: ergo non potest ille modus unionis esse ratio formalis Angelo existendi in loco. Patet consequentia, quia ante illum modum requiritur operatio productiva illius, et unitiva ad talem locum: ergo præcedit simultas seu conjunctio Angeli agentis, seu producentis modum illum respectu corporis in quo illum producit: ergo et præsentia: nam conjunctio, seu simultas agentis cum passo non potest intelligi sine præsentia, et con-

tactu erga passum. Restat ergo explicare, quando Angelus producit istum modum unionis in corpore, quomodo habet contactum erga illud, redditurque illi præsens, et conjunctum ut producere possit illam unionem ad illud corpus, nisi per virtutem ipsam operativam, quæ est virtualis contactus formæ spiritualis activæ. Restat etiam alia difficultas in ista sententia quando Angelus non voluntate sua activa, sed vi alterius passive in se recepta alligatur alicui corpori, sicut Tobiae viii dicitur, quod Raphael Angelus alligavit dæmonium in deserto superioris Ægypti, quomodo tunc existat in loco per unionem ab alio productam, et non per voluntatem propriam, et quomodo possit imprimi ille modus in Angelo ab alio superiori ut alligetur, et uniatur corpori. Non ergo universaliter est verum quod Angelus existit in loco per modum unionis ad corpus sua productum voluntate. Ac denique confirmatur, quia inconueniens est quod substantia Angeli, quæ est nobilissima, non possit per se esse in aliquo loco nisi per accidens. Et sequela patet, quia antequam Angelus uniatur corpori, non potest esse in loco, et remoto omni corpore ut in vacuo, Angelus non potest moveri, quia non potest esse in loco, et consequenter neque illum acquirere, quod est moveri : ergo per se, id est, ratione sui non est in loco, vel non adest, aut tangit locum, sed solum per aliud, id est, per corpus cui uniatur.

XVIII. Hoc autem esse inconueniens constat, quia Angelus per se, seu ratione sui est superior omni corpore, potestque illud movere : movet enim cœlos : potest ergo comparari ad illud per modum motoris, atque adeo medio modo se habet inter Deum, qui est productor ipsius corporis in esse, et animæ, quæ

est informativa corporis : sed Deus ratione sui habet præsentiam ad corpus per immensitatem, et operationem, qua est productor corporis : anima etiam per se in quantum informativa est, potest habere præsentiam ad corpus : ergo similiter spiritus non informator corporis, ut anima, nec productor corporis, ut Deus, sed motor illius potest per se habere immediatam præsentiam, seu contactum ad corpus, quia motor illius est, non solum quia unitus, nisi unio illa sit ipse contactus momentis, seu agentis, quod est per operationem esse in loco.

XIX. Dico secundo : Formalis ratio contactus Angeli ad corpus, in quo fundatur ubi, seu præsentia angelica si connaturali modo fiat, est virtus operativa Angeli ad corpus, ex quo, vel in quo agit, ita quod eadem virtus, et operatio Angeli, et est applicatio Angeli, et formalis ratio existendi in corpore. Si autem modo præternaturali existat in corpore, potest etiam per passivam receptionem vel alligationem ad corpus esse in illo. Dicimus ex quo, vel in quo agit Angelus, id est, unde incipit operatio illius : nam bene potest mediante virtute a se diffusa operari in locum remotum, atque adeo non existet in illo per præsentiam suæ substantiæ, et tamen operari in illud. Sed tamen, quia non incipit inde operatio Angeli, sed solum ibi terminatur, non dicitur esse ubi operatur quomodocumque, sed ubi incipit operatio. Hæc conclusio aequaliter conciliat diversas Thomistarum opiniones, et explicat sensum S. Thomæ ; inter discipulos enim sancti doctoris est differentia in hoc, quod aliqui existimant requiri ad hoc quod Angelus sit in aliquo loco operationem proprie, et formaliter dictam, alii sufficere operationem largo modo sumptam, id est, applicationem ordinatam ad

operandum. Cajetanus autem in præsentem articulo primo §. Sed advertendum, utrumque conciliare intendit, supponens quod in Angelo est duplex præsentia, scilicet præsentia ordinis, et præsentia operationis. Prima est præsentia inchoata, et incompleta, seu in actu primo, quæ solum dicit ipsum actum practicum intellectus, et expeditionem voluntatis ad operandum aliquid, seu in aliquo corpore. Secunda vero est præsentia operationis, quando scilicet actualiter incipit operari in aliquo passo, redditur ibi substantia Angeli complete collocata : tunc enim est perfecte conjunctus ipsi corpori, atque adeo præsens illi ea præsentia, quæ Angelo competere potest, qualis est continentis ad contentum, agentis ad passum, quæ tunc est perfecta, quando actu elicit operationem ex passo ; tunc autem inchoata, quando coordinatur seu applicatur illi ut eliciat.

XX. Hæc ergo conclusio sic explicata est de mente S. Thomæ qui perpetuo docet Angelum esse in loco per contactum virtutis, ut patet in hac quæstione LII, art. I, ubi distinguit contactum quantitativum contra contactum virtutis ; et sic concludit, quod per applicationem virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et quod hæc virtus qua Angelus habet contactum non possit explicari de virtute radicali, quæ est substantia Angeli, sed de formali, quæ est potentia superaddita, ostendit locus supra citatus ex quæstione LXXVI, art. VI, quod quia Angelus unitur ut motor, unitur per potentiam, vel virtutem ; anima autem quia unitur ut forma, unitur per essentiam suam, id est, per substantiam suam : ergo distinguit unionem Angeli per virtutem ab unione per substantiam, quæ

est virtus radicalis : ergo illa virtus, qua Angelus unitur, est virtus formalis. Item in I, dist. XXXVII, quæst. III, a. I, inquit, quod : « Angelus et quælibet substantia spiritualis non potest esse in corpore, vel in loco, nisi per operationem quæ effectum aliquem in eo causat. » Operatio autem quæ effectum causat in corpore, est propria operatio, et procedit ab Angelo mediante virtute operativa : ergo per istam virtutem superadditam, Angelus est in loco, sicut corpus per quantitatem superadditam. Quod expressit etiam D. Thomas in quodl. I, art. IV, ubi inquit, quod : « Contactus corporis est per quantitatem dimensionem, quæ in Angelo non invenitur, cum sit incorporeus, sed loco ejus est in eo quantitas virtualis, sicut ergo corpus est in loco per contactum dimensionem quantitatis, ita Angelus est in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus est in loco per operationem, ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio ; sed quæcumque unio qua sua virtute se corpori unit, vel præsidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo. » Ubi D. Thomas non excludit operationem Angeli quia unitur, et fit præsens corpori, quando dicit per operationem non intelligi solam motionem, sed docet quod ut Angelus sit in loco, non requiritur operatio quæ est motus localis, et quod corpus ipsum cui assistit moveatur localiter, sed sufficere quamcumque aliam actionem qua se determinat, et applicat circa aliquod corpus, etiamsi actio illa motus localis non sit, sicut citato loco ex distinctione XXXVII dicit, quod : « Angelus est in loco quatenus operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum,